



38
1650 34
3/

D. O. M. A.
Controversiarum Medico-
Miscellanearum
DECAS QUARTA

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. MARCI BANZERI

Augustani Med. Doct. & Prof. Publ. Medico-
rumq; Facult. Sen. & h. t. Decani.

Dn. Hospitis, Præceptoris, Mecenatis ac Promo-
toris sui, perpeti honoris & observantiæ cultu pro-
sequendi

ventilandam exhibebit

SAMUEL STURMIUS,

Lucca Lufatus.

Disputabitur in Auditorio Medico

ad diem 13. Februarii.



WITTEBERGÆ

Excudebat Johannes Röhnerus Acad. Typogr.

Anno M. DC. L.

38
D. O. M. A.
Controversiarum Medico-
Miscellaneorum
DECAS QUARTA

IN PRAESIDIO
D. N. MARCI BANZERI
Magistri Med. Doct. & Publ. Medico-
r. Facult. Jen. VI. C. C. C. C.
Dr. Hospit. Praeceptoris, Medicinar. ac Promo-
toris in perpetui honoris & obsequium cultu pro-
sequendi

consilium exhibuit
SAMUEL STURMILIS
Lucea Patris

Disceptavit in Auditorio Medico
in die 14. Februarii

—————
LITTEAE
Excudebat Johannes Kobnerus Acad. Typogr.
anno M. DC. C.





CUM DEO.

¶ I.

Melancholici simpliciter & absolute non sunt ingeniosi pronuntiandi.

¶ I.

Philosophus, dum rationem indagat, cur homines qui ingenio, vel in studiis Philosophiæ, vel in Republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis claruerunt, omnes melancholici fuerint, pro confesso & explorato quasi sumit, sed minus ingeniosè, Melancholicos esse omnium hominum ingeniosissimos; id est, mentis ac intellectus actiones quasvis omnium optimè obeunt, suamq; sententiam etiam experienciâ Herculis, Ajacis, Lysandri, Platonis, Empedoclis, Socratis & aliorum exemplo confirmare satagit. Hinc etiamnum vulgò Melancholici ingenio præstantissimi habentur. Verùm hoc assertum generatim & absolute ita admitti nequit: i. siquidem corporis constitutio temperata, & non intemperata, qualis est melancholicorum, actiones, præsertim simul sumptas, omnium laudatissimas, tum naturales, tum vitales, tum animales exercet. Et in specie, cum actiones animales Medicis dictæ, beneficio spiritus animalis exsequantur, quo ille est purior & præstantior, eò etiam actiones illæ perfectiores & laudabiliore eduntur. Qualis namq; sanguis, talis spiritus: qualis spiritus, talis animus. Ex optimo autem & temperatissimo sanguine laudatissimus & purissimus spiritus: & hinc etiam perfectissimæ ingenii & intellectus omnes aut certè pleræq; operationes. Neq; enim, qui v. g. phantasiâ excellit, interim memoriâ aut intellectu parum viget: aut qui subtiliter discurret inveniendiq; felix est; nihilomi-

Sect 30. Problem. 1.

¶ I. ¶ I. ¶ I.



nus verò ab aliis tradita minus facilè discit & apprehendit, statim pro ingeniosissimo, prudentissimo ac sapientissimo proclamandus. Sic non raro quis in uno aliquo disciplinarum genere, ut exempli gratiâ, carmine scribendo, admodum expeditus est, qui tamen in reliquis aut parum aut nihil præstare valet. 2. Præterea melancholici etiam in sanitatis latitudine adhuc constituti, obtinent temperaturam frigidam & siccam. Atqui tantum abest, ut hi industria & ad artes capessendas ingenio aliis prævaleant, ut potius hebetes ac stupidi dicendi. Hinc ipse Aristoteles prædicto problema-
te scriptum reliquit: *In quibus multa & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt & ignavi.* 3. Multò minus autem quis melancholicos, sanitatis limites egressos, delirio laborantes aut atrabilarios seu maniacos dictos, inter ingeniosos, ut ut quandoque illi ingenio, hi verò astutiâ valere videantur, rectè reposuerit. Nisi quis etiam tertio Melancholicos cum Sennerto dicere velit, qui naturâ bono & copioso quidem sanguine abundant, cui tamen pars quædam crassior & siccior permixta sit, quæ licet ipsa absolutè calida & humida existat, formæque sanguinis particeps, tamen respectu partis temperatissimæ sicca dicatur. Veluti eidem temperamentum quoque melancholicum, in quo sanguis temperatissimo paulo frigidior & siccior: biliosum, in quo aliquantum calidior & siccior: pituitosum, in quo nonnihil frigidior & humidior: sanguineum, in quo sanguis maximè temperatus & ad calidum ac humidum inclinans abundat, vocare libuit. Et secundum hanc interpretationem facilè concedimus, ob rationes à Sennerto loco priori allatas, quia spiritus siccus prudentissimus habetur, respectu reliquarum temperaturarum Melancholicos ingeniosissimos appellari posse. Verum tales, qui bono ac copioso sanguine abundant, quales hinc Sennertus intellectos vult, melancholicos vocare, minus consuetum ac familiare. Neque etiam ipse Aristoteles tales melancholicos intellexisse videtur: dicit enim quosdam horum etiam atræ bilis vitiis infestatos, epilepsiâ, ulceribus ab atra bile prognatis laborasse, quosdam solitudinem amasse,

*Instit. Lib. 3.
part. 1. sect. 2.
cap. 2.*

*Instit. Lib. 1.
cap. 4.*

se, alios ad insaniam planè prorupisse, Maracum civem Syracusanum Poetam fuisse præstantiorem, dum mente alienaretur. Quæ certè omnia non laudabilis, sed illaudabilis ac intemperati verèq; melancholici & atrabilarii sanguinis copiam in illis abundasse demonstrant. Et ob id in *Aristotelis* sententiam concedere non possumus, ut ut is humori melancholico divinum & supernaturale quid, quod & *Amatus Lusitanus* facit, (rectius forsan dæmoniacum quid, hinc melancholia Diaboli balneum vulgò vocatur) tribuere videatur.

Centur. 3.
cur. 17.

Θέσις II.

Chylus, sanguis, semen, lac non à calore, sed facultate specifica primario generatur.

ὑπόδειξις.

Ut calorem, tanquam causam instrumentalem, ad chyli, sanguinis, lactis, seminis & similium humorum specificorum generationem concurrere, ultrò concedimus: ita eundem, sive sit membro insitus, sive aliunde influens, pro causa efficiente, principali & adæquata agnoscere minimè possumus. I. Licet enim formas per qualitates efficaces esse, tritum sit Philosophorum axioma: tamen crases & qualitates solùm instrumenta formarum existunt, & nisi ab his illæ dirigantur & determinantur, per se agere & durare non possunt, sed præsupponunt substantiam à qua & in qua sunt. Et principium quod operatur est forma, principium quo est qualitas. Itaque ipsa actio non instrumento, sed principali efficienti assignanda. Licet enim natura calore, ut instrumento generali, ad plures utatur actiones, tamen hoc calori non primario, sed animæ, quæ chylificâ propriâ & specificâ vi chylum, αἷμα ποικίλην sanguinem: σπέρμα ποικίλην semen &c. generat, adscribendum. Præterea certum & apud omnes rerum naturalium scientes in confesso est, nihil ultra suæ speciei virtutem agere, aut ut alii enunciant, nihil potest causare ultra actum suum adæquatum, cum is potentiae virtutem expleat.

A 3

loris

loris proinde hoc in opere erit alterare & calefacere, atque hinc coquere, non verò toto genere diversam actionem præstare, peculiaremque formam aut etiam novam substantiam procreare. Hic enim effectus sortem & conditionem caloris excedit. Neque est quod hic confugiamus ad *ἰδιουγενείας* & indicibilem solique Deo ac naturæ cognitam temperiem aut mixtionis modum. Quæcumque enim mixtura aut temperies fingatur, non tamen nisi temperiei effectus inde emergent: uti ex variè & diversimodè mistis coloribus non nisi color: ex odoribus odor: ex saporibus sapor. Et quocumque modo qualitates primæ misceantur, nunquam tamen ex iis fiet color, nunquam sapor &c. multo minus alia quadam specie differens & à tota substantia dependens qualitas, veluti inter alias sunt sanguifica, chylica & similes. 3. ob id etiam videmus à peculiaribus & specie differentibus partibus, etsi omnes suo modo caleant, & cum insito, tum influente calore gaudeant, hos succos generari: & solum certum & unum in certa & una. Neque enim unquam hepar semen aut lac producet, neque mammæ aut testes sanguinem: calor namque, dum est animæ vegetantis instrumentum, solum calefacit & solum calefaciendo coctioni inservit. Quod autem in ventriculo ex cibo fit chylus, non modo à calore proficiscitur, sed à facultate ventriculi chylica, sicut idem calor, etsi in diverso gradu, etiam hepatis concoctioni ministrat: non tamen propter & per hunc calorem solum & primariò ex chylo generatur sanguis, sed ob innatam hepatis vim sanguificandi, quod idem & de mammis & testibus affirmari potest: ut enim res essentiis differunt; ita operationibus & instrumentis. 4. Et ut diversorum actiones à formis fiunt diversis; ita quoque formis diversis ad diversas actiones exercendas Natura diversa creavit instrumenta. Hinc aure audimus, oculo videmus, naribus olfacimus. Ad chyli generationem præter ventriculum; ad sanguinis præter hepar & lienem; ad lactis præter mammæ; ad seminis præter testiculos nullum simile reperitur membrum aut organum. Quid autem opus fuisset, tot diversa & multifariam constructa viscera & membra

bra fabricasse, si solus calor has omnes operationes perficeret & absolveret? 5 omnesq; hi succi, veluti chylus, sanguis, lac, semen non nisi accidentibus, nec specie inter se different. 6. imo ipse calor sua natura nec sanguini rubedinem, nec chylo lacti seminive albedinē inducere potest. Malumus proinde hęc omnia facultati specificę & hinc qualitati occultę tribuere, nostramq; mentis caliginem & hæsitantiam liberę fateri, quam rationes rerum falsas ac ineptas adducere, aut etiam ea negare, quę experientia & sensibus confirmata sunt: cum hæc doctrina de occultis qualitatibus adeo rationibus infallibilibus & firmissimis, experientiaq; ipsa, rerum omnium magistra, à plurimis, in primis verò etiam à Magno nostro Sennerto, jam adeo sit stabilita ac confirmata, ut nihil solidi ac firmi quisquam facile contra eam allaturus sit, quiq; eandem impugnare student, nihil aliud, quam ut se aliis deridendos præbeant, efficiunt.

Θέσις III.

Non nisi imperitus ac inexpertus Medicus alvi fluxum, in principio febris putridæ & malignæ contingentem, pro bono & laudabili signo habet.

ἀποδείξις.

Quotusquisq; enim, qui vel à limine Medicinam salutavit, non novit, naturam rectę agentem non nisi coactam in principio morbi excretionem instituere. Ut enim dux militiæ prudens non facile nisi datā commodā occasione in pugnam descendit, & se dubio committit Marti: ita nec natura materię morbificę expulsionem tentat, aut cum ea, nisi tempore opportuno, pugnam init. Hinc etiam ad hujus exemplum Medicos, tanquam Naturę ministros, non cruda & in principio, sed concocta venerandus Senex medicari jubet. Siquidem in principio morbi materiã adhuc cruda, nec concocta & ab utili separata existente, cum *ἡ φύσις* & comodo ægri illa excerni nequit. Symptomaticus ergo & potius mali ominis hoc

Sect. 1.

aph. 22.

2. Aph. 22.

hoc tempore contingens alvi fluxus, quam criticus ac utilis pronuntiandus. Ob id Galenus scriptum reliquit: cum morbus aliquis incipit, si quid excernatur, id tunc naturæ ratione ac lege non excernitur, sed sunt omnia earum, quæ præter naturam in corpore fiunt, affectionum symptomata. Quamdiu enim à causis morbum facientibus gravatur natura, & humorum adest cruditas, tunc ut aliquid rectè vacuetur, fieri omnino non potest. Siquidem ut bona fiat crisis, coctionem præcessisse oportet, & secretionem secutam fuisse, tandemq; evacuationem. Hætenus Galenus. Etenim talis excretio in principio morbi contingens, aut naturæ debilitatem, aut materiæ morbificæ copiam, aut ejusdem malignitatem effrenemq; vim indicat. Adde quod hæc excretionis, per alvum scilicet, ratio, hisce febribus minus commoda & consveta sit, & proinde etiam eò magis Medicum terrere debeat, cum illæ frequentius & facilius per sudores judicentur ac solvantur. Et licet quandoq; contingere queat, ut talis per alvum excretio cum ægri commodo fiat, & bona sit per viam causæ; est tamen mala per viam signi, ut loquitur Forestus cum Gilberto Anglico. Ineptè proinde & imperitè quis concludit, qui talem febrem salubrem fore judicat. Ob id etiam experientia & ratio probat, ejusmodi febres funestum plerumq; habere exitum.

Libr. 2. observ. 26.

Ἔσις IV.

Bene & rectè Medici medicamenta in actu & potentiâ talia distinguunt.

Ἰσοπέρις.

Vulgatissima apud Medicos habetur pharmacorum distinctio, quâ discernuntur in actu & potentiâ talia vel talia, ut calefacientia, refrigerantia, humectantia & siccantia. Nihilominus tamen cum illa non ab omnibus eodem explicetur modo, neq; eodem sensu à quibusvis, præsertim quoad quæ potentia dicuntur agere medicamenta, accipiantur; factum est inde, ut quidam illam reprehenderint, uti, inter alios, apud Laurentium Joubertum pluribus videre est. Verùm hic dissensus potius verba, ob mentem Galeni potissimum mi-

1. Paradox.

minus rectè perceptam, quam rem ipsam concernere videtur,
uti paucis in Auditorum nostrorum gratiam hîc deducemus.
Primò autem etsi potestate tale pluribus & diversis modis, uti
apud Galenum videre est, accipiatur; tamen idem Galenus
in genere, id potestate dici ait, quod quale dicitur, tale non-
dum est, sed potest tale esse vel fieri: è contrario verò actu di-
ci id, quod jam perfectum ac præsens ipsa energia est. i. Simpl.
c. 1. ita habet: *facultas seu causa effectrix alia est actu sive ener-
gia, alia è τὸ μέλλον, id est futuro tempore, (& hæc sunt quæ
superius dixit potestate esse.) Actu quidem, ut calefaciendi in
igne, refrigerandi in glacie. In futuro autem, ut calefaciendi in
pyrethro & castorio & similibus; refrigerandi in alterco, mandra-
gon & id genus. Et sæpius jam dictus Galenus medicamenta
actu talia καὶ Παντασία agentia: potestate verò talia itidem
δυναμικά agentia vocat. Sennertus utramq; Galeni divisionem
his explicat verbis: Actu talia dicuntur, quæ id quod dicuntur
esse, actu quasi absoluto & præsentem obtinent, atq; adeo exprompta
ἐμπύσια, & primo quoq; contactu corpus nostrum eâ, quæ prædi-
ta sunt qualitate, afficere possunt. Ita aqua & glacies actu frigida
sunt, quia quocunq; modo corpori applicata illud mox refrigerare
possunt. Potestate verò seu è τὸ μέλλον in futuro talia sunt, quo-
rum vis primo contactu non percipitur, sed quasi sopita delitescit,
nec actu sese exserit, donec à calore nostro aliquo modo immutetur,
excitetur, atq; in actum deducatur. Ita piper & vinum; etsi ad
tactum sint frigida, nihilominus calefaciunt. Licet enim talem
vim agendi insitam habeant, neq; eam à calore nostro accipiant: ta-
men sine instrumento & beneficio caloris nostri δυναμικά illa insita se-
se exserere non potest, quod etiam in aliis rebus extra corpus huma-
num fieri animadvertimus, quæ sine calore, communi quasi natura
δυναμικά, opera sua exsequi non possunt. Sic etiam quoad se-
cundam distinctionem καὶ δυναμικὸν est, quod revera tale est,
hoc est, insitam à natura facultatem habet eam,
quam habere dicitur, qualitatem in corpus inducendi per se; non
eam, quam sensus obiter, & ad primum occursum id percipiens ha-
bere putat. Κατὰ Παντασίαν autem est, quod exprompto sensu,
& antequam vires suas rectè exserat, tale putatur, cum revera tale*

3. de temp c. 1.

Art. Med.

c. 29.

3. Instit. part.

1. sect. 1. 6. 2.

B

non

non sit, sed contrarium post in corpore effectum edat. Ita aqua refrigerat & humectat *κτ δυνάμει*, vinum verò seu muria *κτ φαρμακία*. Contra autem Joubertus, & qui cum eo sentiunt, omnino contendunt, vulgò potentialia seu virtualia dicta medicamenta, v. g. calida, reipsa & actu in se conclusa habere calorem exsuperantem, neq; eum demum à corpore nostro acquirere aut mutuo sumere, quod etiam pluribus Joubertus rationibus demonstrat; non proinde potentiã sed actu calida pronuncianda esse. Verum adeò prolixa & operosa probatione opus non fuisset, cum omnes ii, qui potentialia medicamenta admittunt, ultro fateantur, insitam illa actu jam, antequam corpori applicentur, habere qualitatem, quã corpus nostrum, vel calefaciendo, vel refrigerando, vel humectando, vel siccando alterare valent. Et quis non per se videt, ex sententia aliter intellecta plurima sequi absurda, id quod Authorum quorundam testimoniis confirmare libet. Namq; ipse Galenus i. de Elem. sec. Hippocr. & i. ac. 3. simpl. 3. de Temper. & millies alibi, Valleriola notante, testatus est, cum volumus calefacere, eligimus medicinam in qua major sit portio ignis (si non mole, saltem efficacità, autore Jouberto) quam contrarii elementi: ubi verò frigesfacere, vice versa. Et licet Joubertus velit Galenum omninò statuisse calida potestate medicamenta calorem à corpore nostro demum mutuari, tamen ex plurimis manifestis locis contrarium ex eodem demonstrari potest, ut ut quibusdam quoad verba Jouberti explicationem tenere Galenus videatur. Et licet Joubertus obtineret, Galenum ita sensisse; tamen id aliorum iudiciis rectè sentientibus nihil derogaret, non tam enim híc quid Galenus senserit, quam quid veritas jusserit, inquirimus.

Libr. 2. de Zabarella ita habet: Dicunt vinum & piger habere frigus actuale, sed calorem virtuale, tactu enim sentiuntur frigida, sunt tamen maximè calefactiva, cujus discriminis rationem quam ego sæpè à pluribus Medicis quasiverim, nunquam tamen ab aliquo intelligere potui. Ipse autem arbitror eam sumi posse ex iis, que proximè dicta sunt. Quamvis enim illa plurimum habeant caloris in sua temperatum, is tamen calor absconditus est à contraria qualitate,

*Libr. 2. de
 mist. gener.
 & inter.
 c. 9.*

tate, cui est commistus: sed si ab externo aliquo ea calefiant, ut à
ventriculo, excitatur etiam calor internus & ei adjunctus calor ex-
ternus reddit calorem unum magnum & valde sensilem, ita ut po-
sse illa majorem ventriculo calorem retribuunt, quam ab eo acce-
perint. Ita etiam Mercurialis statuit, in quolibet mixto,
quod non planè temperatum existit, esse quidem actu primò,
qui est principium operandi, aliquam qualitatem exceden-
tem: verùm quia cuilibet mixto suus simul est substantiæ
modus, & termini in densitate, crassitie & durtie, ob eos
mixtum non posse operari & exserere suas qualitates, nisi mi-
xtum dissolvatur, & ab illis terminis, qui impediunt, ne in
actum secundum, qui est ipsa operatio, produci possit (quod
ipse etiam Galenus docet,) liberetur. Id quod fit beneficio
caloris nostri. Et ipse Joubertus haut ineptè scribit: quem-
admodum enim magnetem à ferro vicino vim suam mutuari, aut
ejus δύναμιν in ἐπέψασιν reduci ratione ferri absurdum esset dicere:
sic etiam medicamenta suam actionem à nobis accipere minimè
fatendum est. Quin potius affirmandum, illorum ἐπέψασιν non
aliter de potentia elici, quam actum ex habitu. Citharædus enim
dormiens citharistica habitum non minus habet quam vigilans,
tamen si eam nisi vigilans & data citharam exercere non possit. Ut ita
medicamenta corpori nostro accommodata de potentia operandi ad
operis actionem, & quasi ex feriis ad opus veniant, non verò, ut vul-
gò existimant, ad novas qualitates transeant. Per δύναμιν enim
hic non intelligitur habitus & actus privatio, sed sola actus absen-
tia. Et uti scientia, que est habitus, à qua contemplatio egredi-
tur, dicitur actus primus: ita ipsa contemplatio dicitur actus se-
cundus. Et ut tandem verbis Valleriolæ, in Responsione ad
prædictum Jouberti paradoxum, concludamus, (nolumus
enim in citandis Authoribus prolixiores esse) ita ille scri-
ptum reliquit: Hoc enim est, quod ait Galenus, medicamenta
à colore nostro calida fieri (actu inquam incallescere) non autem
ab eo accipere calefaciendi potentiam, quam utiq; à semetipsis &
à principio interno vi proprii temperamenti habent: sed latentem ta-
men, nec in presenti, sed in futuro tempore energiã talem, nec à ca-
lore nostro (ut tu putas) facultatem accipiunt. Ubi verò inca-

B 2

luerint,

1. de comp.
med. c. 5.

3. de Temp.
c. 2.

de Temp.
c. 2.

de Paro.
c. 2. §. 3.
Ejus not. §.

luerint, mox profecto suam facultatem exserent, & qua potentia dicebantur, talia actu erunt. Perinde enim medicamentis potestate talibus, ac caloris nostri ope indigentibus, atque satis, arboribus & animalibus evenit. Ut enim illa ad suos quæque partus fructusque & generandos & proferendos actionis huiusmodi adminiculans quidem principium à sole capiunt (siquidem sol & homo generant hominem ex Aristotelis sententia) à seipsis tamen & generationis & educationis fetuum potestatem habent: sic sane & medicamenta ea, qua potestate talia dicimus, à calore quidem nostro agendi adminiculans principium accipiunt, præcipuum tamen & internum à semetipsis agendi principium obtinent, nimirum pro ratione superantis in illis elementi. Non enim censent Medici piper & huiusmodi calefacientia medicamenta non ex propria ipsorum natura atque temperie excellentem calorem habere in nostrisque corporibus accipere, quod tu tamen eos sentire affirmas. Nusquam enim huiusmodi dogma legisse memini. Nemo profecto tam stupidus sit, ut piper à calore nostro omnem accipere calefaciendi potestatem, non à sua ipsius natura potius ac temperie affirmet. Agendi tantum opem atque adjumentum à calore nostro accipiunt, calefaciendi vim à seipsis habent, quæ cum neque in presenti, nec in futuro se exserant, sed tum cum in tenuia veluti confracta nostri corporis vasa oberraverint, à calore nostro pervia facta: ob id profecto potestate talia jure atque ad Medicorum sensa dicantur. Hactenus Valeriola. Atque ex his satis superque constare putamus, quæ vel qualia per potentialia medicamenta sint intelligenda, cumque hæc ab actualibus suo modo & agendi promptitudine differant, neminem hæc distinctio offendere aut turbare debet. Siquidem, testimonio Galeni, aliò genere calefit is, qui ab igne vel sole intepefcit, aliò verò is, qui à potenciali calido medicamento. Illa namque actu sunt calida, medicamenta nequaquam. Itaque nec calefacere nos valent, priusquam actu talia fiant. Idem docet etiam Sennertus, quando scribit: Hinc concludimus ignis actualionem in genere esse ignis, qui in misto potestate inest, potestate autem dico non respectu actus primi, seu formæ ignis, (quam revera etiam in misto habet, sed respectu actus secundi & operationum) à reliquis admistis separationem.

Cum

3. de temp.
c. 2.

In Paralip.
ad Lib. 2. c. 3.
Epir. nat. sc.

Cum ergo non solum prisci & Philosophi & Medici præcipui, veluti *Plato, Aristoteles, Plotinus, Galenus* & alii, sed & Recentiorum primarii quique, inter quos & *Sennertus* noster merito nominandus venit, hac distinctione commodè usi fuerint, illaque suo usu non careat, & ad medicamentorum actiones & qualitates exactius distinguendas plurimum faciat, neque etiam quicquam absurditatis contra sanæ Philosophiæ aut Medicinæ præcepta, modò commodè interpretetur, includat, nullam video rationem, cur illa ipsa è Scholis profliganda aut exterminanda veniat.

Θέσις V.

Vinum est humidum actu & ut alimentum: siccum verò potestate & ut medicamentum.

ἀποδείξις.

Cognata præsens quæstio præcedenti est, proinde hanc illi immediatè subjungere placuit. Controvertitur inter Medicos, num vinum quoad qualitates primas, imprimis passivas dictas, sit humidum vel siccum. Quod actu humidum sit, vel sensus docet, igitur nos de humiditate & siccitate potentiali loqui per se patet. Plurimi vinum siccum pronunciant, non pauci humidum: quidam, inter quos & *Galenus* ipse, modò siccum, modò humidum pronunciant. Siccum esse potestate vinum & autoritatibus plurimis & rationibus firmissimis facile demonstrari potest: interim non desunt & testimonia & argumenta, quæ vinum humidum probabiliter affirmant. Verum in hæc inquirere impræsentiarum propositum non est, sed illud quærimus, cur & qua ratione simul & siccare & humectare vinum queat. Eodem namque planè modo contrarias hasce operationes id præstare statuere velle ἀφιλόσοφον est. Siquidem unum qua unum effectus sibi oppositos edere nequit. Diverso igitur id respectu fieri certum. *Ang. Sala* vult id propter vini partium diversitatem fieri, dum quasdam habet calidas & siccas, uti est *In Hydræol. sect. 4. c. 4.*

B 3

spiritus:

In Instit.

14. Ep. 3.

sect. 2. aph. 11.
1. de vict. in
dent.

spiritus: quasdam frigidas & humidas uti est phlegma. Sed hæc responsio nulla est, quia quævis medicamenta hac ratione contrarios & pugnantes ederent effectus, cum omnia ex diversis & contrariis constant elementis ac partibus: sed à prædominantis partis temperamento fit denominatio. *Scherbius*, notante *Hoffmanno*, vinum meracum siccare, dilutum verò humectare asseruit. Verum *Hoffmanno* hæc distinctio non recto talo stare videtur. Cum & vinum meracum humectet, & dilutum ex ipsius sententia siccet. Nos hanc distinctionem *Scherbii* attendere non possumus, quia de vino impermixto disquisitionem instituimus. Alii denique respondent, quod vinum per se & ratione sui temperamenti siccet: per accidens verò, immoderato & intempestivo usu calorem nativum obruendo, crudos ac pravos humores cumulando, atq; hinc affectus præternaturales humidos, ut paralyfin, apoplexiam, arthritidem, hydropem &c. procreando, humectet. Quæ responsio itidem nobis haut satisfacit, cum non de accidentario, sed naturali ac primario vini temperamento hic loquamur. Omnium ergò rectissime respondisse videtur *Manardus*, quando scripsit: Vinum siccare quatenus medicamentum; dum scilicet interius & exterius adhibitum manifestò alterando siccitatis effectus præstat: humectare verò quatenus alimentum; nutriendo scilicet & corporis substantiam augendo. Distingvendum igitur, ex sententia *Hoffmanni*, inter siccationem qualitativam & substantificam. Vinum actu & quantitativè seu substantialiter humectat, aliàs non posset pueros, senes, (ob id vinum lac senum vulgò vocatur) partes laboribus aut proprii temperamenti ratione exsiccatas humectare, sitim sedare, bilis acrimoniam mitigare, melancholicos juvare, similesq; effectus præstare. Hinc *Galenus* eodem *Manardo* observatore, quando de vino tanquam de medicamento loquitur, illud simpliciter & absolutè calidum & siccum affirmat: ubi verò illud sub alimenti, vel fluidæ, quam in se habet, naturæ ratione considerat, humidum id ipsum esse non abnegat, uti in Com. ad aphor. videre est. Ita etiam *Hippocrates* ait: vinum &

& melicratum magis humectare quam aquam; quod certe non de simplici & alterante humectatione, qua certe aqua & vinum & melicratum superat, sed de nutriente, seu quatenus vinum seu melicratum nutrit, est subintelligendum. Ita etiam secundum *Vallesium* omne alimentum ut alimentum calidum est & humidum, quoniam scilicet auget sanguinem, & substantiam calidam & humidam, separat, neq; si siccum esset vinum, posset esse valde nutriens. Quibus & ipse *Senertus* noster suum addit calculum, dum ita habet: *Quod Galenus vinum humidum esse dixit, id eo modo accipiendum est, quo omne, quod alit, humidum dicitur, & quatenus liquidum & fluidum est.* Item: *Modicus vini usus corpus humectat, spiritus fovet, vires roborat, coctionem distributionemq; ciborum juvat, adversus senectutis frigiditatem & siccitatem est remedium, somnum conciliat, bilis acrimoniam frangit, mentem exhilarat, placidosq; mores efficit.* Licet verò quidam ideò datam *Manardi* respon- sionem seu distinctionem admittere nolint, quod scilicet vinum, dum corpus nostrum nutrit, nihilominus alimentum siccum subministret, & hinc siccet etiam quatenus alimentum: tamen illis pro defensione *Manardi* responderi potest, vinum non esse solum & purum putum alimentum, sed alimentum medicamentosum: hujus ratione siccare, illius vero humectare. Et notante *Jul. Alexandrino*, humiditas actualis alimenti cum siccandi potentia sæpius una reperitur. Alimentum namq; quatenus alimentum debet esse temperatum, & non modo ratione substantiæ, sed & temperaturæ corpori nostro conveniens & simile. Alimenti enim est solum familiaritate substantiæ nutrire, non alterare: alimentum verò medicamentosum non solum nutriendi, sed simul & alterandi vim habet, adeoq; quoad temperiem, à corpore nostro haut parum variat. Alimentum & medicamentum sunt *αἰτιδινημῶνα*, alterum vincit, alterum vincitur. Hinc *Hippocrates* alimenta temperata omnium optima dixit, quamvis pauca talia reperiantur. Et *Julius Alexandrinus Med.* ita scriptum reliquit: *At utrobique, tam calidis & siccis, quam frigidis & humidis, ex quibus quidem elici alimentum queat, prius quam*

4. Instit. part.

1. c. 4.

ejusd. libr.

part. 2. c. 4.

de Prisc.

Med.

16. Salubr.

c. 5.

quam

quam sanguificentur, vis agendi inest, ut partes quas attigerint, aut calefaciant aut exsiccent, ut vinum: aut frigefaciant & humefaciant, ut lactuca, aut unam tantum ex his aliquando, quae inveniri non pauca possunt, qualitatem inferant. Quae dum ab his sunt in corporibus, non quidem ut alimento sunt: ab alimento namque, nihil aliud, quam sanguinis copia augetur semper, nulla autem prorsus qualitas alia introducitur, non ante in corpore inventa. Haec namque simplicissimi verique & legitimi alimenti natura est, ut rite confecti triticei loti praesertim, panis, ut preparata recta ratione suilla, ut aliorum quorundam, quae ingesta temperaturam corporis, quod alitura sunt, nulla omnino ex parte immutant, ac sanguinis tantummodo quantitatem unam solamque augent, qualitatem eandem ipsa ex toto corporibus assimilata servant: quum reliqua omnia, quibus praeter alendi aliud quoque, alterius praeterea qualitatis aliquid additum fuerit, sanguinis quidem quantitatem adaugeant (neque enim alimenta essent, si aliter contingeret) sed qualitatem insuper quoquo modo mutatam invertunt, aut priorem augent. Item: Alimentum quia alimentum nihil aliud quam alit, hoc est, aucto tantum sanguine nutrimentum addit corpori, eodem quo prius temperamento, nullo in qualitatis alicujus excessu: qui si praeterea accesserit, jam tum pro qualitatis ratione, praeter id quod alet, etiam aut calefecerit, aut refrigerarit, aut humectarit, aut exsiccarit, aut conjunctim ista. Haec ille.

cap. 6.

§ VI.

Purgantia per alvum pharmaca humores in corpore praesistentes, non vero vi sua deleteria modo genitos & corruptos educunt.

Ἰσοπέρις.

Tract. de febr. c. 5 & contr. Humor. c. 1.

Johannes Baptista Helmont ut in plerisque aliis, ita & in hoc acerbissime perstringit Medicos Dogmaticae Medicinae addictos, dum statuunt humores vitiosos in corpore haerentes & actu jam praesentes, vi specificam ab electivè purgantibus trahi & e corpore exturbari. Ipse vero è contrario pluribus pro-

probare contendit, illa quæ vi purgantium educuntur, non esse humores nec naturales aut utiles, nec etiam excrementios & præternaturales in corpore jam existentes, sed meram putrilaginem aut merum liquamen tabefactum à cathartico- rum vi venenata & toxica, vividi corporis substantiam liquante & in tabidum virus resolvente, modo prognatum. Inde etiam purgantia, præsertim fortiora, ut colocynthidem & scammonium venenis putrefacientibus accenset vel æquiparat. Hoc autem dogmate haut adeò multum *Helmontius* ab opinione *Asclepiadis* recedit, cujus *Galenus* meminit. Is enim itidem volebat medicamentum purgans humores suam in naturam & substantiam transmutare, illosq; postmodum è corpore expellere, hincq; fieri, ut sumpto cholagogo, bilis: phlegmagogo, pituita: melanagogo, melancholia: hydragogo, aqua seu serum educatur. Quamvis hanc *Asclepiadis* sententiam *Fallopianus* aliter & mitius interpretetur, dum scribit, *Asclepiadem* non fuisse adeo fatuum, ut crediderit humores pharmacum procreare, sed solùm à pharmacis humoribus stimulum addi, quo postmodum naturam ad excretionem irritent, & simul una expellant. Sed ut ut sit, de hoc enim, quid propriè *Asclepiades* senserit, jam non disputabimus: Interim quod *Galenus* de *Asclepiade*, id etiam haut immeritò de *Helmontio* pronunciarì potest: illum scilicet omnia artis bona suo sermone evertere conatum fuisse. Item magnum sermonum numerum *Asclepiadem* ausum esse coacervare, quæ iis quæ sunt manifesta repugnant, atq; eos, quos latet id quod videtur, cogunt hæsitare, & obstupescere faciunt atq; hominis impudentiam admirari. Nec non quod *Galenus* de sui temporis Medicis ibidem conqueritur, quod solum odio Hippocratis adeo absurda statuerint: ita etiam haut præter rem quis dixerit *Helmontium* odio in dogmaticam Medicinam commotum adeò absona effutivisse. Verum uti *Galeno* facile Ratione & experientia absurdissimam *Asclepiadis* opinionem refellere fuit: ita haut magis difficile erit *Helmontii* æq; imò magis ineptam iisdem fere argumentis oppugnare. Nos genuinam & communiter receptam de catharti-

Lib. 2. de Elem. & Lib. de purg.

2. De med. purg. simpl.

2. de Elem. 64.

C

tharti-

*Lib. de purg.
fac.*

*de Ther. ad
Pis.*

tharticis, quoad hanc controversiam, sententiam, brevitatis gratiâ solum hîc comprobabimus, præstito namq; hoc, per se & sua sponte falsitas opinionis Helmontianæ elucescet. Quæ autem ad futes ejus rationes, quas pro sua sententia confirmanda *Helmontius* adduxit, responderi debeant, ad ipsum disputationis conflictum reservabimus. Dogma verò hoc Helmontianum omnem cathartorum doctrinam subvertit. Licet enim purgantia, præsertim fortiora, humanæ naturæ non adeo sint amica, tamen debito modo usurpata, inter medicamenta & remedia potius quam venena sunt reponenda. Et i. si cathartica essent toxica atq; venena liquefactiva & putrefacientia, citra summum vitæ periculum assumi non possent: atqui contrarium quotidiana testatur experientia, dum non solum citra noxam, sed & summo cum fructu ab innumeris quibusvis fere in affectibus in usum trahuntur. Hinc *Galenus* de seipso testatur, se plures alopeciâ, ulceribus phagedænicis, carcinomatis, vertigine, epilepsia, insania, melancholia, cephalæa, dolore colico, ischiadico, fluxu uterino &c. laborantes solis purgantibus curasse. 2. Præterea quis sanæ mentis crediderit, à tantillo medicamento tam copiosam humorum saburram, tantillo temporis spatio generari, aut tantam corporis colliquationem fieri? & quidem citrà omnem ferè corporis commotionem aut offensionem, siquidem plurimi facillimè purgationes ferunt: Quis contra non facile sibi persuaserit humores hosce prius quoq; corporibus inhæsisse, cum videat arquato morbo laborantem eo tempore, quo medicamentum biliosum humorem purgans caput, & bilem subitò copiosam excernere, & affectu expedite liberari? eum verò qui aqua inter cutim affligitur medicamento quodam simul ac fuerit assumptum, omnè aquam ventri insidentem cito admodum vacuari, ut habet *Galenus*. 3. Et quantas, bone Deus, turbas darent in corpore, aut quantum eidem damnum inferrent, si effectu suo, ut sæpissimè fit, frustrarentur & in corpore subsisterent cathartica, si adeò noxia essent. 4. Ulterius si cathartica humores corrumpendo & corporis substantiam liquando effectum suum præ-

præstarent; quodvis medicamentum purgans eundem & si-
mitem, neq; unquam diversum aut peculiarem & determina-
tum humorem purgaret, quod tamen experientia redarguit,
cum videamus manifestò nunc hunc nunc illum educi hu-
morem: imo eodem pharmaco & eodem tempore & hunc &
illum; hunc prius illum posteriùs. Interim quis hic objece-
rit, cathartica ut specie inter se differunt, ita etiam specie
differentes humores corrumpendo generare, quo & Helmon-
tius inclinare videtur, dum scribit: *Colores dejecti excrementi
effectus esse potati pharmaci, non autem testimonia abundantie, aut
humoris electi rejecti conformitas.* Verum hoc ulterius Helmon-
tius probandum incumbit. Præterea rhabarbarum v.g. pitui-
toso exhibitum, eundem ac æq; facilè educeret humorem, ac
bilioso propinatum, quod tamen falsum. 5. Hinc experien-
tia testatur, quod cholagogo exhibitio icterico, educatur bilis &
æger juvetur: hydragogo exhibitio hydropico itidem, & sic deinceps.
Et è contrario si quis tentaverit bilioso homini dare medicinam, quæ
apta sit purgare pituitam, non sine magna (ut certum habeo) noxa
dogma experietur. Et hydropico si dederis nigram aut flavam bilem
ducens, ventris dolorem nequaquam minues, teste Galeno. Et hac *Lib. de med.*
in parte ad experientiam audacter provocat Galenus, ita ut *purg.*
non vereatur scribere, si quis ictero flavo laboranti melanagogum
exhibeat, & inde ipsum juverit, sese ipsi omni supplicio devinctum
traditurum. Et iterum inquit: *Millies, si modo artis opera in-
spicere velis, ostendam tibi perditæ veterator, aquosa purgantibus
plura: nigram bilem evacuantibus pauca semper excrementa dejici.*
Quæ certè omnia haut fierent, si cathartica humores noxios
generarent. Et licet quis dicat, medicamenta alvum laxan-
tia solum per accidens curare morbos, dum scilicet purgan-
do simul etiam noxium & peccantem humorem exturbant,
Galenus tamen ad hanc instantiam rectè respondet, dum in-
quit: *si medicina purgantes solâ ratione evacuationis juvant, cur* *de Elem.*
*non secamus venas omnium hominum, sive sint tenues, sive crassi,
sive morbo regio laborent, sive atra bile. Sed horum quidem pluri-
mis qui sufficienter sunt extenuati non parum profuit humoris noxii
evacuatio: si quis verò his sanguinem auferre tentasset, statim occi-
disset*

...37.
differ. 6. Insuper videmus quosdam sumpto pharmaco cathar-
tico haut parum defatigari, etsi non multum purgentur, alios
verò nihil molestiæ sentire, etsi copiosè dejectant. 7. Et hinc
etiam corpora sana, monente *Hippocrate*, medicationes mo-
leste ferunt. Quæ profectò non contingerent, si *Helmontii* as-
sertum vero consonum esset. Si quis autem cum eodem quæ-
rat, cur ergò etiam optimè sano catharticum exhibitum, aut
etiam in ægris sæpius repetitum, purgatis jam sufficienter no-
xiis humoribus, nihilominus purgat. Isti responsum volu-
mus catharticum, etsi nullos amplius in corpore peccantes
humores offendat, nihilominus tamen quotiescunq; propi-
natum, naturam ad excretionem laceffere, & sic etiam humo-
res utiles tandem evacuare. Qui licet sub forma excremen-
torum, non sanguinis (licet & hic quandoq; ob immodera-
tum aut intempestivum purgantium usum purus excerna-
tur) aut utilium humorum prodeant, tamen hoc fit, quia se
miscent excrementis in intestinis repertis, præterea quia per
partes transeunt, quibus proprium est cuncta in stercus mu-
tare, uti ipse *Helmontius*, ubi contra clysteres nutrientes dis-
putationem instituit, loquitur. Ob id etiam ibidem ait, ju-
scula pro clysteribus nutrientibus injecta, si binis horis ab-
inde rejiciantur, non solum stercus, sed & cadaver illa ole-
re. Verùm de hac controversia post ex professo agemus. Ee
quærerem ego ab *Helmontio*, unde tanta humorum saburra in
homine etiam sano provenire queat, si is fortean à causa ex-
terna, ut v.g. aere frigido, diarrhoeam incurrat?

7. de febr.

Θέσις VII.

Flores Benzoes phthificis non conve-
niunt.

Ἐπιπέρισις.

Lib. 2. c. 10.

Beguinus in suo Tyroc. ubi de florum benzoes præpara-
tione & in Medicina utilitate tractat, eosdem ad asthma & o-
mnes pulmonum morbos valere asserit. *Commentator* verò
in idem caput, illos ipsos in phthisi & asthmate etiam invete-
rato commendat. Verum flores hi, ut in asthmate & omnibus
quasi

quasi affectibus thoracis, à frigidis lentis & crassis humoribus dependentibus, haut citra utilitatem usurpantur: ita indifferenter in quibusvis pulmonum affectibus (& sic v. g. etiam in ruptione vasorum & hæmoptoica passione) eosdem velle adhibere, ut *Beguinus* inconsultò consulit, summa esset temeritas. Minus etiam rectè tanquam præ aliis accommodatum remedium illi ipsi in phthisi laudantur, siquidem hoc in affectu sua excedente caliditate, siccitate & acrimoniâ, tum ratione febris, tum ratione ulceris atq; tussis obfunt potius, quam profunt. Nisi quis ipsis in pauca admodum quantitate, & cum aliis convenientibus debito modo mistis ad puris crassitiam & dyspnææ allevamentum uti velit. Verum ad has intentiones magis adpropriata & tuta remedia hoc in morbo non pauca reperire est. Malè igitur & temerariè agunt, dum Medicinæ quidam plane ignari hos plenis buccis, tanquam singulare & præcellens, ad sæpius dictum affectum auxilium, de prædicant, & horum inconvenienti usu aliorum, imo & suorum mortem, si non causant, tamen accelerant. Verum ut Elixir proprietatis Paracelsi hæcticis: spiritus vitrioli ulceri pulmonum, ita flores benzoës phthisi conferunt. Sed hæc crassioris sunt erroris, quam ut pluribus refutari debeant.

Θέσις IIX.

Mercurius crudus intra corpus exhibitus tutum non est remedium.

Ἐπίδηξις.

Spagyrici in laudando & miris præconiis extollendo hydrargyro seu Mercurio ipsis dicto, admodum sunt copiosi & prolixi. *Crollius* certè, *Mercurium balsamum naturæ, in quo virtus sit incarnativa, quæ mirabiliter renovet & clarificet corpus microcosmicum ab omnibus impuritatibus*, esse ait. Et *Beguinus summum omnis corruptionis & putredinis alexipharmacum existere Mercurium* scribit. His & similibus encomiis, plura enim allegare operæ pretium non ducimus, facilè minus expertus & cautus Medicus falli posset. Hydrargyrum namq; seu argentum vivum validissimum esse pharmacum, nec adeò tutum,

in Basil.

2. Tyroc. c. 13.

C 3

sum-

summâq; proinde cum prudentia & extrema solum necessitate in usum trahendum, sequentia probant. 1. Quia anceps & dubium est remedium, de cuius qualitatibus seu temperamento, viribus item atq; effectibus plurimum disputatur & controvertitur: dum alii id calidissimum, alii frigidissimum, alii siccissimum, alii humidissimum, alii verò planè heterogeneum & ex contrariis mistum statuunt. 2. Non solum præterea est incertum, sed etiam plurimum excellens & validissimum remedium. 3. Ob id etiam propter partium suarum tenuitatem insignem vim penetrandi habet; ita ut *Levinus Lemnius* testetur, incisâ venâ eorum, qui semel atq; iterum eo in lue venerea inuncti fuerunt, aliquot drachmas ejus effluxisse. *Langius* refert se sub ossibus teredine exesis & ferro excisis eorum, qui fuerant hydrargyro inuncti, guttulas ejus tremulas non semel reperisse. Si hoc externo præstat usu, quid interno præstabit? *Gvilielmus Fabricius* meminit cujusdam mulieris, quæ contra lumbricos ʒiſs Mercurii sumserit, cumq; tum temporis simul super abdomine gestasset emplastrum matricale, eo paulo post amoto, totum hydrargyro perfusum fuisse. *Fernelius* multos factos epilepticos asserit, quod iis aliquid Mercurii per aures in cerebrum penetrarit. Quod etiam *Forestus* confirmat. Hinc etiam extremis partibus inunctus hydrargyros vis ejus in ore per salivationem animadvertitur. 4. Neq; solum corpora viva, mollia & porosa permeat, sed etiam dura tabe metallica vasa, & inter hæc durissima quoq;, ut stannea, plumbea, ærea, argentea, &c. teste *Fernelio* & experientia, erodit atq; exedit. Unde ligneis quam metallicis vasis tutius committitur, quamvis *Dioscorides* scribat, argentum vivum in vitreis, plumbeis, stagnis aut argenteis vasis servari. Proinde *Libavius* scriptum reliquit, se ex relatione *Doldii* doctissimi Medici cognovisse, Chirurgum quendam ob crebrum medicamentorum mercurialium usum mortuû, ossa habuisse plane friabilia. 5. Imo testimonio *Dioscoridis* loc. eod. planè vim habet perniciosam, hincq; ab eodem & plerisq; Veterum, *Galeno* scilicet, *Paulo Aetio*; & plurimis Recentiorum, ut *Fernelio*, *Capivaccio*, *Plateario*, *Baccio* &c. tota substantia naturæ hu-

Cent. 2.
obs. 71.

2. de abd. rer.
caus.
Lib. 2. de ve-
nen. schol. ad
obs. 30.

Lib. 5. c. 70.
Tr. de igne
Nat. c. 30.

humanæ inimicum habetur interq; venena reponitur. Imo
Plinius argentum vivum omnium rerum venenum existere
adfirmare non est veritus. 6. Testaturq; experientia non mo-
do assumptum, sed & solum inunctum hydrargyrum alio-
rum venenorum more stuporem, convulsionem, tremorem,
paralyfin, lethargum, tormina, lipothymiam & alia horren-
da mala, imo sæpe sæpius & ipsam mortem causasse. Sic
Conciliator dictus notat, quendam seplasiarum febre ardente
laborantem ad firim sedandam per imprudentiam loco aquæ
magnam argenti vivi copiam ebibisse, congelatumq; interiif-
se, cujus aperto cadavere sanguis circa cor congelatus reper-
tus. *Untzerus* refert, quod fabri ferrarii uxor gravida ob in-
unctionem unguenti Mercurialis abortum passa fuerit. Licet
Fracastorius tradat, mulieres quasdam sumsisse argenti vivi $\text{℥}j$
ad fætum perdendum, quæ tamen voti minime compotes fa-
ctæ fuerunt, nec tantillum inde molestiæ senserunt. Quod
idem *Fallopius* testatum facit. Apud *Philippum Hæchstette-
rum* mentio fit cujusdam senis, qui ob cinguli mercurialis
usum faucium exulcerationem, aphthas, salivationem co-
piosam, anhelitus fœtorem, dentium vacillationem, gingi-
varum tumorem, buccarum exulcerationem, nervorum &
tendinum in collo tensionem, maxillarû immobilitatē, lipo-
thymias frequētes, summâq; virum debilitatem & tandem to-
tus emaciatus mortē ipsam expertus est. 7. Hinc etiam adeo
curiosi sunt Chymici in variis hydrargyri præparationibus
inveniendis & describendis, ut à vaporibus suis arsenicali-
bus summe noxiis, uti *Untzerus* habet, (utur hic Author alias
Mercurium ab omni venenositate absolvere conetur) liberetur,
& eò tutius usurpari queat. Quamvis non desint, inter
quos est *Primorosius*, qui Mercurium crudum præparato ma-
gis tutum existiment, imprimis si hic ita præparetur ut corpo-
ri adhærere aut in minima resolvi queat. Mihi tamen ex arte
& rectè præparatus longè tutior quam crudus videtur. Nam
quod crudum minus periculosum quidam judicant, id solum
eatenus veritatem obtinet, quatenus statim per corpus trans-
it, nec tum facilè noxam ei insignem imprimere queat: si ve-

Lib. 33. c. 6.

*Anat. Merc.
Lib. 1. c. 16.
Lib. de Si-
phil.
Tr. de lue
Vener.
Dec. 3. cas. 7.*

*De err. vulg.
lib. 4. c. 30.*

ro

rò in corpore substiterit, satis noxam ejus quilibet experitur.
g. Ob id in affectibus, ubi alvi constipatio, ut ileo, colica, ver-
mibus, concurret, aut ubi ventriculus intestinaq; cibo excre-
mentisvè repleta, minus ejus usum securum existimo. Quod
enim plurimi iiq; experientissimi & nobilissimi Medici Pra-
ctici se sapius Mercurium vivum non solum sine damno, sed
maximo etiam cum ægrorum commodo, variis in morbis ex-
hibuisse; aliosq; eundem vel consultò, vel per errorem aut
per malitiam & fraudem aliorum, & quidem magna sapius
in copia, innoxie haussisse historiarum testentur, tamen id solum
in iis contigit, quorum in corpore non diu hæsit, sed brevi
iterum per inferiorem gutturem secescit, Hoc enim nisi fiat,
citra præsens vitæ periculum non assumitur. Proinde haut
mirum gnathonî cuidam, cujus meminit *Hechstetterus*, Mer-
curium crudum per jocum in convivio propinatum, & ob
ventriculum & intestina hinc repleta, in corpore diutius re-
tentum & ad vias urinarias delatum, haut exiguum damnum
& periculum causasse. Nos concludimus cum *Sennerto* no-
stro: *Licet argentum vivum in casibus desperatis contulisse atq; utile
fuisse negandum non sit; tamen ubi necessitas non urget, & aliis
mitioribus medicamentis res peragi potest, iis utendum, cum ali-
quam pravam dispositionem corpori facile imprimere possit, sicut et-
iam contactu sensum stupefacere potest.*

Dec. 3. cas. 4.

Θέσις ΙΧ.

Clysteres nutrientes dicti non planè
sua carent utilitate.

Διόδωρος.

Clyfma non modo antiquum sed & usitatum ac fre-
quens auxiliorum genus existit: siquidem, referente *Herodoto*,
Ægyptii singulis mensibus per tres dies continuos clysteribus
usi sunt. Itali & Galli aliiq; quidam populi eodem hodie-
no tempore, ad morborum præsertim curationes in frequen-
ti satis usu habent, ut ut apud Germanos minus consveti sint.
Interim utilissimum esse remedium, egregiumq; pluribus in
affectibus præstare usum, non nisi Dogmaticæ Medicinæ osor
negare

negare potest. Qualis etiam *Helmontius*, qui dum omnem ra-
 tionalem Medicinam penitus everfam cupit, etiam quemvis
 clysterum usum summopere damnat belluinumq; remedium
 vocat. Verum nos in genere de utilitate hujus auxilii impræ-
 sentiarum disputare non constituimus, sed in specie tantum,
 num beneficio clysteris, ex convenientibus parati, corpus
 quoquo modo nutriri, refocillari ac sustentari queat, si con-
 tingat, uti non rarò fit, ut nullus cibus per os assumi, aut de-
 glutiri aut retineri queat, aut alias ager omnem fastidiat &
 aversetur. Nos affirmativam tuebimur, non ignari eorum,
 quæ ab aliis, ut *Aloisio Mundella*, & imprimis etiam *Helmontio*, *Tr. de febr.*
 qui intolerandæ stupiditatis argumentum & anile inventum *c. 7.*
 enema nutriens vocat, in contrariū afferuntur, ad quæ in actu
 disputationis, data occasione, respondebimus. Primò autē no-
 stram sententiā stabilire videtur, quod intestinis vis quædam
 alimenta concoquendi insit, testimonio (1.) *Galenus*. Imo idem (1.) *4. de Us.*
Galenus, (2.) notante *Francisco Vallesio*, concoctionem ventri- *part. c. 17.*
 culi non simpliciter necessariam esse dicit, sed cum solida (2) *6. de plac.*
 tantum assumuntur alimenta: in reliquis verò propter perfe- *Hipp. & Plat.*
 ctionem. 2. Intestinum colon situm est loco satis calido, sub
 ventriculo prope hepar & lienem, ita ut tempore neces-
 sitatis in diuturna inedia, quin concoctionem aliquam præstare
 queat, non planè absolum videatur. 3. cum præsertim in-
 jecta hoc in negotio facilis sint concoctionis, naturæq; no-
 stræ familiaria, nec adeo operosa elaboratione indigeant.
 4. Insuper ad colon intestinum vasa pertingunt, quorum in-
 jectum liquorem facile exfugere possunt. Et in venis succus
 attractus magis elaborari & quodammodo concoqui potest,
 cum & venis aliqualis concoquendi & sangvificandi vis com-
 munitè tribuatur. 5. Imo clysteris attractio & per cæcos
 ductus, cum totum corpus sit perspirabile, fieri potest: in ve-
 nas etenim posse transire clysterem, & sursum ipsum quan-
 doq; ferri, indicio esse ait *Fernelius*, quod nares & os odore
 saporeq; feriat; quandoq; & urinas inficiat. Hinc idem
 scriptum reliquit: *Clyster, qui natura conveniens pro alimento* *3. M. M. c. 2.*
subditur, absorbetur interdum, si longa fuerit inedia aut parsimonia
D cibi.

4. M. M. c. 3. Et iterum ita habet: *Recreantur intestina, si juscule capi carnisve alterius bene succulento, aut vino rubro (subaustero) proluantur: ex- iunita quippe avidius hac plerumq; retinent, & in corporis commo- ditatem referunt.* 6. Sæpissimè quin etiam contingit, ut cly- steres ad superiora intestina, imo ipsum ventriculum adscen- dant & per os rejiciantur: quidni ergò etiam fieri queat, ut famelicus ventriculus ejusmodi clysterem attrahat? forsan etiam per convenientia instrumenta, vi liquorem sursum im- pellentia, Natura hoc in opere juvari possit. Et 3. de fac. nat. docetur, in magna fame vel ex ipsis venis aut proximis parti- bus revocare ventriculum succos. Non ergò planè absur- dum videtur eundem ex intestinis succum alibilem attrahere posse. 7. Et si foris talia corpori imposita vim reficiendi & quasi nutriendi habent, quidni magis corpori infusa? siqui- dem non contemnendæ autoritatis Medici in gravidis ad abortus præcautionem in foetus debilitate ob alimenti defe- ctum emplastris umbilico impositis & ex carnibus, ovis, me- litematis, panis mica vino lacteq; macerata paratis, utuntur. Imò panis & vini solo odore spiritus & vires haut parum re- focillari & restaurari possunt. 8. Nostræ etiam sententiæ favet autoritas & experientia plurimorum & præstantissi- morum Medicorum, (licet Antiquiores eorum mentionem non fecerint) ut *Oribasii, Aetii, Aureliani, Celsi, Avenzoar & re- liquorum Mauritanorum.* Hinc *Celsus* ita scriptum reliquit: *Ultimum in cardiaco morbo auxilium est, in alvum ptisanæ vel alicæ cremorem ex inferioribus partibus injicere, siquidem id quoq; vires tuetur.* *Johannes Anglicus* in sua Rosa, ubi de cur- sympt. febr. cont. tractat, in alvi constipatione hæc habet: *si volumus facere nutritivum clysterem, fiat de bonis brodiis, nam hoc modo quorundam vitam protraxi ad 15 dies. Sicut enim in homine de pedibus suspenso, si cibus ejus ori infereretur, ad ventricu- lum is adscenderet: ita etiam talis clyster tempore famis & vacui- tatis totius corporis poterit adscendere ad stomachum, cum & foetus in utero contentus per vasa umbilicalia sibi alimentum attrahat.* *Quid quod etiam clyster non nutriens ad jejunum usq; ascendat. Quia natura è toto corpore, quod sibi est conveniens, & quo in- diget*

Lib. 3. c. 19.

Lib. 2. de feb.

diget attrahit. Amatus Lusitanus testatur se mulierem angina *Cent. 1.*
laborantem per octo dies jusculis in anum injectis & ptisana *cur. 100.*
servasse, quia, addit, ex ipso jecinore ad crassiora intestina
venulæ quædam propagantur, per quas indigentia tempore
jecur ad se nutrimentum per anum injectum ex ipsis crassio-
ribus intestinis attrahere potest. *Forestus* itidem de *Johanne* *15. Obs. 30. in*
Tiengio Medico narrat, quod anginosam quandam per 20 dies *schol.*
clysteribus ex lacte & vitellis ovorum paratis nutriverit.
Rodericus à Fonseca quandam usq; ad nonum diem clysteribus
nutrientibus, notante *Rosenbergio*, sustentavit. *Gvil. Fabri* *Ros.iatr. c. 20*
cius meminit cujusdam gravidæ & simul febricitantis, quæ à *Cent. 4. obs.*
febri restituta, ab omni cibo ac potu postmodum ita abhor- *30.*
ruit, ut spatio 6. hebdomadam nihil fere per os assumere po-
tuerit, quæ tamen clystere nutriente, bis singulis diebus inje-
cto, ita fuit nutrita, ut foetum non solum ad constitutum
tempus gestarit, sed & feliciter pepererit foetusq; supervixe-
rit. *Benedictus Faventinus* asserere non veretur talibus clyste-
ribus & marasmm curari. *Rosenbergius* certè testatur, quos-
dam miracula, certis quibusdam in necessitatis casibus, cly-
steribus nutrientibus præstitisse.

Θέσις X.

Medicis non minus ac Chirurgis ex-
ternis curare medicamentis concessum.

Ἐπιπέρισις.

Etsi primo à Chirurgia nostra ortum duxerit Medicina,
ipsiusq; inventores non nisi Chirurgiam exercuerint :
factum tamen est postea, ut illâ ipsâ auctâ & amplificatâ, qua-
si fastu quodam hanc Medicinæ partem, quæ externis potis-
simum affectibus & manuum operatione medetur, postero-
res à se amoverint, atq; vel ministris aut aliis eam exercen-
dam reliquerint. Hinc tandem contigit, ut hodierno se-
culo quasi duæ distinctæ artes habeantur, & à peculiaribus
artificibus etiam exercentur. Quod uti non planè im-
probandum, dolendum tamen interim Chirurgiam, utpote
artem

artem adeo nobilem, utilem summopereq; necessariam, imperitis adeo & plerumque lingvarum artiumq; liberalium & imprimis Medicinæ etiam prorsus ignaris committi. Imo illud magis adhuc mirari subit, quod iidem eò protervix & arrogantix veniant, tantumque sibi sumant, ut se solos externis affectibus, qui tamen sapissimè à causa interna foveantur aut dependent, medelam adhibere & posse & debere sibi persuasum habeant. Hinc præter jus & æquum Medicum collyrium, gargarisma, cataplasma, linimentum, emplastrum simileve medicamentum præscribere autumant. Ut jam nihil dicam, illos curationes morborum per interna medicamenta sapissimè instituere. Verùm hac in parte Chirurcos planè falsos esse cuius patet, cum non minus externa quam interna pharmaca præscribere & ordinare ad Medicos pertineat. Siquidem Chirurgia Medicinæ pars est. Hanc ergo & verum nosse Medicum omninò convenit. Imo ob talium Chirurgorum Medicinæ ignarorum imperitiam in cura alias facile error subrepere potest, dum uno calopodio plerumq; omnes calcant, nec pro subjectorum, temporum, morborum & aliarum circumstantiarum diversitate remedia sua variare sciunt. Adde quod ipsi Chirurghi sint quasi Medicorum ministri, qui hac in parte ad Medicorum præscriptum suas manuum operationes & illorum medicamenta applicare debent, neque se Medicorum, quoad hoc, imperio subtrahere justo modo possunt. Hinc sapienter Electorali lege ita præcipitur: Chirurcos quantum ad Chirurgiam Collegio Medicorum subijcimus, ut de administrationibus Chirurgicis uniuscujusq; ab hoc iudicium fiat, & imperiti removeantur. Ipsi ergo viderint, quid rerum agant, qui sordidi lucelli gratia hac in parte Chirurgorum patrocinium suscipiunt, eorumq; iniquum propositum contra publicum commodum defendere satagunt.

Non te pœniteat tantos subisse labores
Exiit hos requies, fama, lausq; manent.
Ergo sic pergas: caput inter nubila condas,
Et fueris patrii magna columna soli.

Anthoñius Güntherus Billich
Frisius Orient. Med. Stud,

Wittenberg, Diss., 1650-51(1)


Vd 17


ULB Halle 3
002 673 339



56.







1650 34
3/

D. O. M. A.³⁸
Controversiarum Medico-
Miscellanearum
DECAS QUARTA

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. MARCI BANZERI

Augustani Med. Doct. & Prof. Publ. Medico-
rumq; Facult. Sen. & h. t. Decani.

Dn. Hospitis, Præceptoris, Mecenatis ac Promo-
toris sui, perpeti honoris & observantiæ cultu pro-
sequendi

ventilandam exhibebit

SAMUEL STURMIUS,

Lucca Lufatus.

Disputabitur in Auditorio Medico

ad diem 13. Februarii.

WITTEBERGÆ

Excudebat Johannes Röhnerus Acad. Typogr.

Anno M. DC. L.